



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.5. Dæmonis in puellam potestas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

nis negotium clarè exprimas. Hac enim charta mihi opus erit, in die Iudicij. O quanta est mortalium cæcitas! cùm Deus aliquid à nobis exigit, etsi exiguum sit (ipso dicente, *ingum meum suauis est, & onus meum leue*, & alio; *mandata eius graua non sunt*) quas non inueniunt excusationes, tergiversationes, querelas? ast quando Acheronticus tyrannus aliquid mandat, licet contra rationis normam, contra naturæ leges, vt homicidia, veneficia, idololatrias, ibi nulla est difficultas, dummodo obtineatur, quod petitur, quiduis vicissim illi promittitur. Itaque seruus Proterij, vt etiam diaboli seruus fieret, proprio sanguine, nomen, professionemque suam in chartam consignatam capitali humani generis hosti tradidit, ex hominis seruo, seruus diaboli, ex Christiano magus factus.

Hic iam discite, arcana Dei iudicia timere, quæ sæpe etsi mira sunt, semper tamen sunt iustissima. Nullum de Proterij filia vitium, in historia, magnæ virtutes indicantur. Erat bene educata: habebat piæ parentem, volebat Christo æternam consecrare virginitatem; & tamen à Deo potestati diaboli traditur. Quippe Spiritus

K 5

forni-

Matth. 11

30.

1. Ioana

5 5.

V.

DAEMONIS

INPV-

ELLAM

POTESTAS

fornicationis, pleno agmine ex Auerno citati, & à principe dæmoniorum in puellam immissi sunt. Cœpit igitur illico puella iam alias in corde versare cogitationes; seruum non fugere, sed quærere, cum eo colloquia miscere, atque ita tota in eum exardescere, vt dissimulatione omni posita, haud secus ac Spiritu damnato infessa, coram patre, se in terram proijcere, & furere cogeretur. Misertus est gnatae pater; neque filia ambagibus vsa est; sed elata voce clamauit: Misereat te mei, sum enim in tormento, quia vror, & ardeo; non possum hanc ampliùs pati flammam: vel iunge me seruulo isti in matrimonium, vel morior. Expalluit pater, & rogauit, etiam atque etiam, ne à pristino mentis proposito resili-ret: præstare utique Christi Domini, quàm serui mancipijque esse sponsam. Surda canebatur; seruum volebat. Postquam autem vidit parens, frustra se esse, nuptias dissuaderi non posse, saltem id conatus est efficere, vt animum appelleret ad nuptias honestiores. Sed saxo loquebatur. Nullum illa alium audire, nullum alium se velle, quàm seruum, clamitabat. Quid faceret miser? Consultius iudicabat;

filiam

filiam seruo, quàm morti tradere. Itaque consentit in nuptias, quamuis animo multùm reluctante. Apparantur nuptiæ, &, obstupescente tota ciuitate, celebrantur.

Nemo diaboli ope nitatur, qui vult felicem negotiorum suorum exitum; non cupit ille hominibus bene esse. Quocirca & puellæ illi non diu benè fuit. Multa in eius marito deprehendebantur, quæ suspicionem ciebant. Inter quæ etiam fuit, quòd numquam videretur accedere ad sacram synaxin; immo quòd sollennia officia, conuersiones, aliaque quæ in templo ad diuinum cultum instituebantur, apertè declinaret. Fuerunt igitur, qui ad coniugem eius accederent, dicerentque: Nostinè qualem nacta sis maritum? nempe hominem minimè Christianum. Neque enim quidquam facit, quod Christianum decet. Dum alij in templo orant, aut domi dormiunt, aut foris ludunt, aut alicubi bibunt: quod facere solent non nisi impietate absorpti, ac diuina nihil facientes. Hoc vbi audiuit noua nupta, Deo impensè addicta, tum sensit, quàm citò mundi gaudia in luctum conuerterentur. Siquidem dolore & poenitudine plena, velut fulmine tacta in terram cecidit, cœpitque

VI.
PUELLA
QUALISIT
NUPTA
MARITO
INTELLIGIT.